

Saturnus igitur prædictorum locorum in quibus infirmitates certæ significantur, si uictor extiterit, inducet nocumentum in aure dextra, splene, uesica, flegmate, & hoc maxime si simul extiterit in signo membrum illud respiciente.

Iupiter in tactu, pulmone, costis, pulsu, spermate, & cartilaginibus, uitia ac passionibus nato decernit.

Mars habet sinistram aurem, renes, uenas, testiculos.

Sol dirigit uisum, cor, cerebrum, neruos, & omnia dextræ partis membra,

Venus odoratiua, epar, carnem.

Mercurius, locutionem, imaginationem, deliberationem, memoriam, linguam, fel, nares.

Luna, gustum, guttur, stomachum, uentrem, pudenda mulierum, & omnia sinistrae partis membra.

Infirmitates fient generaliter, cum planetæ infausti ac morborum significatores, pro maiori parte occidentales inuenti fuerint.

Impedimenta autem & læsiones, cum orientales fuerint. Infirmitates namque in tempore ueniunt & recedunt. Læsiones autem quando accidunt corpori, perpetuo membra occupantes destruunt, sicut cæcitas oculorum, surditas, amissio membrorum.

Modum læsionum particulariter corpori humano uenientium ex quatuor causis sciemus.

Primo. Luna cum Sola fuerit in prædictis angulis Ascendente uel Septima, & fuerit in hora coniunctionis uel oppositionis, & Luna se applicet Soli ex Angulo Ascendentis uel Occidentis ipsa infortunata existens & applicans stellæ alicui nebulosæ in Zodaico uel prope, decernit nato amissionem unius oculi. Similiter quando Luna fuerit in aliquo angulorum occidentalis à Sole, fueritque Mars solus, aut Mars & Saturnus orientales, euntes ad Lunam à longe, uel si Sol fuerit in aliquo angulorum, aut ad eum duæ stellæ scilicet Mars & Saturnus ascenderint, aut duobus luminaribus associantur in figura, & utrumque luminare in uno eodemque signo uel in oppositis fuerint, & respectu Solis matutinales extiterint planetæ prædicti, respectu Lunæ uespertinales, in utroque oculo significant caliginem. Per Martem enim ex ictu, ferro, uel combustione eueniet. Si autem Mercurius eidem applicuerit, uel associatus fuerit, ex luctatione uel ludo. Saturnus oculorum caliginem, ex frigiditate, iaculatione, alijs uel similibus Causis dare solet.

Secundo. Venus in aliquo prædictorum angulorum existens, præcipue in Septima, ibidem Saturno existente, uel aspiciente eam de locis commutatis, si fuerit Mars eleuatus super ambos, uel sola Venus, aut eos ex opposito aspexerit, continget ex hoc uiris, filios non habere, sed mulieribus abortum, & partus intempestiuos denunciare, quandoque puerorum mutilationes & lacerationes contingent, maxime cum Venus in Cancro, Virgine, uel Capricorno extiterit, & Luna ex parte orientis Marti applicuerit.

Tertio. Venus hoc modo constituta cum Saturno & Mercurio associabitur, eleuabiturque supra Venerem Mars, uel si Venus ei per diametrum opponetur, nascetur natus hermaphroditus, uel erit clausus sine testiculis. Et cum fuerit Venus in prædicto statu cum Saturno aut Marte, & aspexerit Solē, fuerintque ambo luminaria cum Venere masculina, & existente occidentali, & si sint infortunæ in sequentibus gradibus, nascetur natus, si filius fuerit, sine membris uirilibus, aut impedimenta sentiet in eis ex læsione futura, maxime si supradicta cōstellatio in Ariete, Leone, Scorpione, Capricorno, uel

O iij Aquario